

# DE CICERONIS "TOPICIS"

De logicae partibus quae exstant in Ciceronis «*Topicis*» hoc specimine disputare in animo habemus \*; illa Topica quamquam in Tullii scriptis rhetoricis numerantur, tamen potius ad philosophiam spectant; ita etiam Aristotelis «*Topica*», quae Cicero cognovit, lectitavit, denique infeliciter imitatus est, in extremo «*Organo*» inveniuntur, quo doctrina syllogismi probabilis Topicorum institutioni syllogismi necessarii Analyticorum contraria continetur; ille auctor Romanorum doctissimus etiam totius philosophiae peritissimus ac Topicorum gnarissimus fuit, ut ex ejusdem Ciceronis libris crebro percipitur.

## 1. DE CICERONIS STUDIO PHILOSOPHIAE

Cicero filio suo introductionem in artem quidem rhetoricam scripsit, quae inscribitur «*Partitiones Oratoriae*»; in philosophiam autem filium non jam ipse introduxit neque introductionem philosophicam confecit ratus filium non tanta esse praeditum indole quanta pater ipse; Cicero tamen praeter magna illa scripta rhetorica non paucos libros philosophicos composuit adhortationemque ad philosophiam elaboravit, quae «*Hortensius*» inscribatur; has autem duas litterarum partes (eloquentiam et sapientiam), quae ad hominis orationem et rationem excolendam spectant, Cicero pariter funditus cognoverat, quamquam ipse neque artis dicendi neque philosophiae

---

(\*) Cf. BENEDETTO RIPOSATI, *Studi sui «Topica» di Cicerone* (Milano, 1947). P. OKSALA, *Die griechischen Lehnwoerter in den Prosaschriften Ciceros* (Helsinki, 1953, p. 122); LUDOVICUS LUCIUS, *Organi Aristotelici thetica et aphoristica expositio*, Basileae, 1636.

«*Helmántica*», 30 (1958).

magister fieri voluit neque umquam fuit; immo rei publicae servire cupivit, ideoque omnes litteras summa alacritate ad-discere studuit; itaque scholis Academiae Mediae et Stoicorum et Epicureorum interfuit fontibusque tot litterarum Graecis optimis usus est; quorum studiorum documento sunt haec, quae Cicero nonnullis librorum variorum locis ita communicavit:

«nos autem nec subito coepimus philosophari nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus, et cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur, quod et orationes declarant refertae philosophorum sententiis et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi: Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. (7): et si omnia philosophiae praecepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit» (*De Nat. Deor.*, 1, 3, 6-7).

«a prima aetate me omnis ars et doctrina liberalis et maxime *philosophia* delectavit» (*ad fam.* 4, 4, 4).

«omnis a *philosophia* petenda correctio est; cujus in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna jactati tempestate confugimus» (*Tusc.* 5, 2, 5).

«in his studiis (=philosophiae) ab initio versatus aetatis existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulisses; cui (=philosophiae) cum multum adulescens discendi causa temporis tribuissem, posteaquam honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae tempori» (*De Off.* 2, 1, 4).

«a Phaetro qui nobis, cum pueri essemus, antequam Philonem cognovimus, valde ut philosophus, postea tamen ut vir bonus et suavis et officiosus probabatur» (*ad fam.* 13, 1, 2).

«scribo tamen, ut te admoneam, quod ipse *litteris omnibus* a pueritia deditus experiendo tamen magis quam discendo cognovi, tu tuis rebus integris discas» (*ad fam.* 1, 7, 10).

«*litteris omnibus* a pueritia deditus» (*ad fam.* 1, 7, 10).

«fatebor... me quoque in adulescentia diffisum ingenio meo quaesisse adjuncta doctrinae» (*pro Murena*, 60, 4).

«cum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho fui studiumque philosophiae nunquam intermissum a primaque adulescentia cultum et semper auctum hoc rursus summo auctore et doctore renovavi» (*Brutus* 91, 315).

«Zenonem, quem Philo noster coryphaeum appellare Epicureorum solebat, cum Athenis essem, audiebam frequenter et quidem ipso auctore Philone» (*De Nat. Deor.* 1, 21, 59).

«cum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus» (*Brutus* 89, 306).

«eram cum Stoico Diodoto, qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper (59 a. Chr. n.) est domi meae mortuus; a quo cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar» (*Brutus* 90, 309).

«*philosophia*... qua nec mihi carior ulla umquam res in vita fuit nec hominum generi maius a deis munus ullum est datum». (*ad fam.* 15, 4, 16).

«totum illud *philosophiae* studium mihi quidem ipse sumo et ad vitae constantiam, quantum possum, et ad delectationem animi...» (*Ac. Post.* 1, 2, 7).

Cicero omnibus igitur philosophiae partibus aequo studio navavit simulque iuri civili summa industria incubuit. Inter philosophiae autem disciplinas maxime scientiae dialecticae favit nisus Diodoto Stoico praeceptore atque familiarissimo sene, qui Ciceronem optime dialecticam instituit et exercuit. Cicero ipse jam senex Trebatium amicum juris peritissimum de Aristotelis *Topicis* instruere animum induxit; dialectica enim vetus duabus partibus vel ramis constat: arte inveniendi argumenta ad disputationes necessaria, quae *Topica* vocatur, et scientia iudicandi, quae vel dialectica a potiori id est ars disserendi et iudicandi vera et falsa, vel logica appellatur. Hac occasione data Tullius etiam hoc ostendere voluit se ipsum juris quoque scientiam docere posse, cum in opere «*De Legibus*» 2, 19, 47 haec verba faceret: «iuris consulti ignorance docendi saepe, quod positum est in *una* cognitione, id in *infinitam* dispertiuntur; nam non solum scire aliquid artis est, sed quaedam ars est etiam docendi».

## 2. DE DIALECTICA

Primo de dialectica generaliter loquamur:

«et ipse Aristoteles tradidit praecepta plurima disserendi et postea, qui *dialectici* dicuntur, spinosiora multa pepererunt; ergo eum censeo, qui eloquentiae laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem, sed vel illa antiqua (=Aristotelis) vel hac Chrysippi disciplina institutum; noverit primum vim, naturam, genera verborum et simplicium et copulatum; deinde quot modis quidque dicatur; qua ratione verum falsumne sit iudicetur; quid efficiatur e quoque, quid cuique consequens sit quidque contrarium; cumque ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi explanarique oporteat» (*Orator* 32, 114-115).

«sequitur tertia (sc. cogitatio), quae per omnes partes sapientiae manat et funditur, quae rem definit, genera dispertit, sequentia adiungit, perfecta concludit, vera et falsa dijudicat, disserendi ratio et scientia, ex qua cum summa utilitas existit ad res ponderandas tum maxime ingenua delectatio et digna sapientiā» (*Tusc.* 5, 25, 72).

(Scaevola numquam magnus vir juris consultus fuisset), «nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscura explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa judicarentur et quae quibus propositis essent quaeque non essent consequentia» (*Brutus* 41, 152).

«nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cujusque cernere neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possumus nec judicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere» (*Orator* 4, 16).

«jam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae *logiké* dicitur, iste vester (=Epicureus) plane, ut mihi quidem videtur inermis ac nudus est; tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non quomodo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit; judicia rerum in sensibus ponit, quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri et falsi putat» (*De Fin.* 1, 7, 22).

«dum *dialecticam*... contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam et iudicandi, quale sit quidque, et ratione ac via disputandi, ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quae docere vult, ulla arte distinguit...» (*De Fin.* 2, 6, 18).

«quanta primum intellegentia, deinde consequentium rerum cum primis conjunctio et comprehensio esset in nobis, ex quo videlicet, quid ex quibusque rebus efficiatur et qua ratione, concludimus singulasque res definimus circumscripenteque complectimur, ex quo scientia intelligitur quam vim habeat et qualis sit, qua ne in deo quidem est res ulla praestantior» (*De Nat. Deor.* 2, 59, 147).

«ad easque virtutes... *dialecticam* etiam adiungunt et physicam easque ambas virtutum nomine appellant: alteram, quod habet rationem, ne cui falso assentiamur neve umquam captiosa probabilitate fallamur...» (*De Fin.* 3, 21, 72).

## 3. DE IPSIS TOPICIS

Jam ad «Topica» ipsa transeamus et explicemus, Cicero quid docuerit de «Topicis» in aliis libris rhetoricis praeter opusculum, quod «Topica» inscribitur.

*De Topicis* praesertim in libris rhetoricis Cicero loqui potuit, ubi topica tamquam fontes argumentorum ostenduntur; doctrina autem topicorum solum in illis scriptis rhetoricis nobis occurrit, quae systema artis oratoriae exhibent, non tamen in historia eloquentiae, quam «Brutus» enarrat.

Aristoteles auctor disciplinae Topicorum laudatur:

(*Aristoteles*) «locos quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio» (*Orator* 46).

Aristoteles is, quem ego maxime admiror, posuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc orationem, qua in causis utimur, inveniretur» (*De Or.* 2, 36, 152).

«sin aliquis exstiterit aliquando, qui Aristotelico more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes praeceptis illius (Aristotelis) cognitis... is sit verus, is perfectus, is solus orator» (*De Or.* 3, 21, 80).

«qui illi *sedes* et quasi domicilia omnium argumentorum commonstret et ea breviter illustret verbisque definiat» (*De Or.* 2, 39, 162).

(orator), «illos locos tamquam thesauros aliquos argumentorum notatos habet» (*Part. Orat.* 109).

«argumentorum locos nosse (*Part. Orat.* 139).

«quibus rebus fides fit? argumentis, quae ducuntur ex locis aut in re ipsa insitis aut assumptis. Quos vocas locos? in quibus latent argumenta. Quid est argumentum? probabile inventum ad faciendam fidem» (*Part. Orat.* 5).

«his... locis in mente et cogitatione defixis et in omni re ad dicendum posita excitatis nihil erit, quod oratorem effugere possit non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi» (*De Or.* 2, 41, 175).

«consequentur... illi loci, qui quamquam proprii causarum et inhaerentes in earum nervis esse debent, tamen quia de universa re tractari solent, *communes* a veteribus nominati sunt» (*De Or.* 3, 27, 106).

«loci certi traduntur, (orator) percurret omnes, utetur aptis, generatim dicet: ex quo emanant etiam, qui *communes* appellantur loci» (*Orator* 47).

«alii (loci) ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet» (*De Or.* 3, 27, 107).

Loci ita dividuntur:

1. loci *intrinseci*; 2. loci *extrinseci*.

Loci *intrinseci* a Cicerone ii loci putantur, qui «ex sua vi sumuntur atque natura»; loci *extrinseci*, qui assumuntur foris (*De Or.* 2, 39, 162).

«ex sua vi, cum aut res quae sit tota quaeratur, aut pars ejus aut vocabulum quod habeat, aut quidpiam rem illam quod attingat» (*De Or.* 2, 39, 163).

, «extrinsecus autem, cum ea, quae sunt foris neque inhaerent in rei natura, colliguntur» (*De Or.* 2, 39, 163).

«foris autem assumuntur ea, quae non sua vi, sed extranea sublevantur» (*De Or.* 2, 40, 173).

«sin ab eo, quod rem attingit, (quaeritur), plures sunt argumentorum sedes ac loci; nam et conjuncta quaeremus et genera et partes generibus subjectas et similitudines et dissimilitudines et contraria et consequentia et consentanea et quasi praecurrentia et repugnantia et causas rerum vestigabimus et ea, quae ex causis orta sint, et majora, paria, minora quaeremus» (*De Or.* 2, 39, 166).

#### 4. DE LOCIS

Omnes loci, quos Cicero in «*Topicis*» 71 et 11 nominavit et tractavit, eodem ordine hic enumerantur; loci distinguuntur hoc modo:

*alii* in eo ipso, de quo agitur, haerent; sunt *interni* loci; alii assumuntur extrinsecus; sunt *externi* loci;

*interni* loci judicantur ex toto (=genere); ex partibus (=speciebus) ejus (=generis); ex nota (=differentia); ex iis rebus, quae quodam modo affectae sunt ad id, de quo quaeritur (haeres affectae sunt quasi *accidentia*). 8.

*externi* loci vocantur extrinseci; ea (=loci) extrinsecus ducuntur, quae absunt longeque disjuncta sunt. 8, 72.

quae assumuntur extrinsecus, ea maxime ex auctoritate ducuntur. 24.

Jam afferuntur 16 loci:

1. ad id totum, de quo disseritur, *definitio* adhibetur, quae quasi involutum evolvit id, de quo quaeritur. 9.  
*definitio* est oratio quae id, quod definitur, explicat, quid sit. 26.
2. (*partitio* est tum), cum res ea, quae proposita est, quasi in membra discerpitur, 28.  
in *partitione* quasi membra sunt. 30.
3. *notatio* (est), cum ex verbi vi argumentum aliquod elicitur. 10.  
(*notatio*) ea est, cum ex vi nominis argumentum elicitur. 35.
4. *conjugata* dicuntur, quae sunt ex verbis generis ejusdem; ejusdem autem generis verba sunt, quae orta ab uno varie commutantur, ut: sapiens, sapienter, sapientia; haec verborum conjugatio «*syzygia*» dicitur. 12.
5. *genus* est notio ad plures differentias pertinens. 31.  
*genus* est «uxor»; ejus (generis) duae formae: una matrum-familias..., altera earum, quae tantummodo uxores habentur. 14.
6. *forma* est notio, cujus differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. 31.  
*formae* sunt eae, in quas genus sine ullius praetermissione dividitur. 31.  
in divisione *formae* sunt, quas Graeci «*eide*» vocant, nostri... species appellant. 30.
7. *similitudines*... ex pluribus collationibus perveniunt, quo volunt. 42.  
haec (similitudo) ex pluribus perveniens, quo vult, appellatur inductio, quae Graece «*epagogé*» nominatur. 42.  
inductio, quae Graece «*epagogé*» nominatur. 42.
8. *differentia* maxime contraria similitudini. 46.  
est ejusdem (differentiae) dissimile et simile invenire. 46.

9. locus est, qui e *contrario* dicitur; *contrariorum* genera plura:  
 unum eorum, quae in eodem genere plurimum differunt ut: sapientia, stultitia. 47.  
 eodem autem genere dicuntur quibus propositis occurrunt tamquam e regione quaedam contraria ut: celeritati tarditas. 47.  
 haec quae ex eodem genere contraria sunt, appellantur adversa. 47.  
 sunt etiam alia contraria quae privantia licet appellemus Latine, Graeci appellant «steretiká»; praeposito enim IN privatur verbum ea vi, quam haberet, si IN praepositum non fuisset ut: dignitas indignitas. 48.  
 jam alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea quae cum aliquo conferuntur ut: duplum simplum. 49.  
 sunt etiam illa valde contraria, quae appellantur negantia; ea «*apophatiká*» Graeci vocant contraria agentibus ut: si hoc est, illud non est. 49.
10. ab adjunctis... locus hic magis ad conjecturales causas, quae versantur in judiciis, valet, cum quaeritur, quid aut sit aut evenerit aut futurum sit aut quid omnino fieri possit. 50.  
 admonet... hic locus, ut quaeratur, quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit. 51-52.
11. *consequentia* semper eveniunt; ea enim dico consequentia, quae rem necessario consequuntur...  
 quidquid enim sequitur quamque rem, id cohaeret cum re necessario. 53.
12. *antecedentia* et *antecessio* in «*Topicis*» non explicantur; sed ex comparatione cum «*consequentibus*» patere videtur illis vocabulis eam syllogismi partem indicari, qua «*praemissae*» (propositiones) continentur, ut elucet exemplis (53) allatis.
13. *repugnantia*: quidquid repugnat, id ejusmodi est, ut cohaerere numquam possit. 53.



14. *causae*: res efficientes, quae causae appellantur. 58.  
 causarum genera duo sunt:  
 unum, quod vi sua id, quod sub eam vim subjectum est, certe efficit.  
 alterum, quod naturam efficiendi non habet, sed sine quo effici non possit. 58.  
 sunt aliae causae, quae plane efficiant, nulla re adjuvante; aliae, quae adjuvari velint. 59.  
 causa, quid sit effectum, indicat. 67.
15. *effectae res*: quod effectum est, quae fuerit causa, demonstrat. 67.
16. *comparatio*: ex *comparatione* omnia valent, quae sunt hujus modi:  
 quod in re majore valet, valeat in minore;  
 quod in minore valet, valeat in majore;  
 quod in re pari valet, valeat in hac, quae par est. 23.  
*comparantur* ea, quae aut majora aut minora aut paria dicuntur; in quibus spectantur haec: numerus, species, vis, quaedam etiam ad res aliquas affectio. 68.  
*parium comparatio* nec elationem habet nec submissionem; est enim aequalis; multa autem sunt, quae aequalitate ipsa comparentur. 71.

*Exempla «locorum» afferamus:*

conjugata dicuntur, quae sunt ex verbis generis ejusdem... ut sapiens, sapienter, sapientia (12).

forma a genere, quoad suum nomen retinet, nunquam sejungitur (13).

ex tali causa, ut in ea non sit efficiendi necessitas, necessario conclusio non sequitur (60).

*locus qui efficitur ex causis:*

ut causa, quid sit effectum, indicat, sic quod effectum est, quae fuerit causa, demonstrat (67).

Hic locus suppeditare solet... saepe etiam philosophis, sed iis qui ornate et copiose eloqui possunt, mirabilem copiam dicendi, cum denuntiant, quid ex quaque re sit futurum (67).

## 5. DE COGNITIONE

Ante scientiam logicae cognitio rerum tractanda est; nam sensibus homo res externas apprehendit, quas deinceps intellectu ordinat et distinguit; etiam apud Ciceronem valet Aristotelis dictum nihil esse in intellectu (=in animo), quod non prius fuerit in sensu. Haec cognitio sensibus nisa ad animum transfertur et intelligentiā (27) retinetur; finis autem hujus rerum receptionis intellectualis vocatur cognitio (9. 31. 67. 82. 85); haec cognitio complectitur res, quae cerni vel tangi possunt vel aliis sensibus percipiuntur; sed etiam tales res, quibus corpus non subest, cognosci queunt; ergo res corporeae et incorporeae cognitione apprehenduntur; rerum simulacra in mente ficta «notiones» appellantur (27. 31. 83.); Cicero «notionem» ita circumscribit: «est insita et ante percepta cujusque cognitio, enodationis indigens» (31). Spectrum rei sensiferae «conformatio» nominatur (27); forma enim rei externae abstracto modo in intelligentiam recipitur «insignita, insita, impressa» (27); eadem forma etiam «ante *percepta*» vocatur, quia praeceptione quadam (Graece: prolepsei) in mentem recepta construitur; quibus transformandi processibus terminatis homo «animo cernere» (27) et «intellegere» (27) et «distinguere» ac «secernere» (31) potest. Postquam tales notiones rerum factae et complures notiones idoneae inter se copulatae sunt, homo cogitare et legibus logicae uti incipit. Denique res, quae cernuntur, appetitionem animi et iudicium cient. (65).

## 6. DE LOGICA IN CICERONIS TOPICIS OBVIA

Scientiam logicae doctores in partes tres dividere solent, quae a Cicerone hoc modo nuncupantur:

- a) notio.
- b) iudicium.
- c) conclusio.

a) *de notione*

*Notio* est apud Graecos *ennoia* vel *prolepsis*. 31.

«notio est insita et praecepta cuiusque cognitio, enodationis indigens». 31.

«quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quaedam *conformatio* insignita et impressa in intelligentia, quam *notionem* voco». 27.

*notio*: ea saepe in argumentando definitione explicanda est. 27.

Ad notiones spectant etiam praedicabilia: genus, forma (=species), differentia, proprium, accidens.

*genus* est notio ad plures differentias pertinens. 31.

forma... a genere, quoad suum nomen retinet, nunquam sejungitur. 13.

formae quas Graeci «eide» vocant... 30.

formas... nostri *species* appellant. 30.

*forma* est notio, cujus differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. 31.

*formae* sunt eae, in quas genus sine ullius praetermissione dividitur. 31.

formarum... certus est numerus, quae cuique generi subiciantur. 33.

«*differentiae*» generi subiciuntur. 31; hoc loco «*differentiae*» idem valent ac «*formae*» vel «*species*»; nam una species ab altera specie differt.

*differentia* rei maxime contraria similitudini (est) 46.

*proprium* = quod nullam in aliam rem transferri possit. 29.

«accidens» est vox, quam Cicero ignorat; Cicero «adjuncta» (18. 50), vel «conjuncta» (53) sub illa voce «accidens» intellegere videtur.

*divisio* distinguit notiones.

*divisio*... omnes formas (=species) complectitur, quae sub eo genere sunt, quod definitur. 28.

*divisio* non est eadem ac *partitio*.

in *partitione* quasi membra sunt ut corporis. 30.

membra adspici et tangi possunt;

in *divisione formae* (=species) sunt... 30.

*formae* non adspici, sed intellegi possunt.

In *categoriais* adnumerari possunt:

«quid sit» (=usia) 26. 82. 83.

«causa» (=actio) 58.

«effectum» 67.

res verbis significantur;

«sunt *verba* rerum notae.» 35.

*verbum* a *sententia* differt. 34.

*Definitio* est vox notionis.

«*Definitio* est oratio, quae id, quod definitur, explicat, quid sit.» 26.

De actione *definiendi* «sic... veteres praecipunt: cum sumpseris ea, quae sint ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi; dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit.» 29.

Exempla *definitionum*:

*esse* ea dico, quae cerni tangive possunt. 27. (cf. *De Or.* 2, 38, 158).

*non esse* ea dico, quae tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo atque intellegi possunt. 27. (cf. *De Or.* 2, 38, 158).

res efficientes... *causae* appellantur. 58.

*judicii* finis est jus, ex quo etiam nomen (*judicii*). 91.

*oracula*... ex eo ipso appellata sunt, quod inest in iis deorum oratio. 77.

ex... genere causarum ex aeternitate pendentium *fatum* a Stoicis nectitur. 59.

Deorum... *virtus* natura excellit. 76.

- hominum (*virtus*) industria (excellit). 76.
- voluntaria* (sunt) quae consilio (effecta sunt). 63.
- ignorata* (sunt), quae necessitate effecta sunt. 63.
- notio*... est insita et praecepta cujusque cognitio, enodationis indigens. 31.
- verba* sunt rerum notae. 35.
- conjugata* dicuntur (ea verba), quae sunt ex verbis generis ejusdem;
- ejusdem* autem generis verba sunt, quae orta ab uno (verbo) varie commutantur ut: sapiens, sapienter, sapientia. 12.
- genus* est notio ad plures differentias pertinens. 31.
- forma* est notio, cujus differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. 31.
- formae* sunt eae, in quas genus sine ullius praetermissione dividitur. 31.
- comparantur* ea, quae aut majora aut minora aut paria dicuntur. 68.
- in *divisione* formae sunt, quas Graeci «eide» vocant; nostri si qui haec (sc. eide) forte tractant, *species* appellant. 30.
- in *partitione* quasi membra sunt. 30.
- testimonium*... dicimus omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. 73.
- locus* est argumenti sedes. 8.
- argumentum* est oratio, quae rei dubiae faciat fidem. 8.
- causae* latent, quae subiectae sunt fortunae. 63.
- causae* perspicuae, quae appetitionem animi iudiciumque tangunt. 63.
- dolus malus* est, cum aliud agitur, aliud simulatur. 40.
- illa ex repugnantibus sententiis conclusio a dialecticis tertius modus, a rhetoribus *enthymema* nuncupatur. 56.
- fortuna*- *obscura* et latens causa (est). 63.
- jus civile* est aequitas. 9.
- Pars notionis de *contrariis* quoque disputat.
- Ciceronis doctrina de contrariis cohaeret cum Platonis dichotomia, quae est divisio unius rei in duas partes contrarias; quod hac ratione dichotomiae Plato postremo ad definitionem alicujus rei pervenire studebat, haec de contrariis institutio

ad definitionem pertinet. Apud Ciceronem occurrunt quattuor contrariorum species:

1. adversa, quae in eodem genere plurimum differunt (47) contraria.
2. privantia [steretika] cum syllaba praefixa IN (48) privata.
3. contraria, quae cum aliquo conferuntur (49) relativa.
4. negantia [apophatika] cum negatione NON (49) contradictoria.

Locus contrarii hoc modo enuntiatur:

«contrariis omnibus contraria non conveniunt» (49).

His exemplis contrariorum verba, substantiva, adjectiva illustrantur:

*Verba:*

accipere — reddere 21. nulla re adjuvante — adjuvari 57. augere — minuere 45. augere — sedare 98. cernere — animo cernere 27. confundere — distinguere 31. quae se ipsis contenta sunt — quae egent aliis 70. esse — intellegi 26. esse — non esse 27. expetere — fugere 84. 89. haere in — assumere extrinsecus 8. 72. indicare — demonstrare 67. involutum — evolvere 9. perturbare — tranquillare 98. reperire — tractare 53. sequi — fugere 47. sequi — repugnare 53. velim — nolim 30.

*Substantiva:*

adolescentia — senectus 32. amicus — assentator 85. animus — corpus 74. 89. appetitio — iudicium 63. arca — tabulae 16. ars — scientia 6. bonitas — malitia 47. causa — effectum 67. 88. causa — eventum 67. causa efficiens — causa non efficiens 70. causae perspicuae — causae latent 63. *causae: alia sunt quieta — alia praecursionem quandam adhibent* 59. celeritas — tarditas 47. cognitio — actio 81. commodum — incommodum 89. corpus — notio 27. dicta — scripta 87. dignitas — indignitas 48. divitiae — paupertas 84. dolus — fides 66. elatio — summissio 71. eloquentia — infantia 82. eloquentia — scientia juris civilis 85. homo — belua 83. homo — deus 76. huma-

nitas — inhumanitas 48. iracundia — metus 86. iudicium — arbitrium 66. jus — injuria 4. laetitia — aegritudo 86. loci qui haerent in eo, de quo agitur — loci, qui assumuntur extrinsecus 8. natura — tempus 73. necessitas — consilium 63. nomen — res 34. nomen proprium — nomen commune 55. partitio — divisio 28. 30. 34. res, quae sunt — res, quae intelleguntur 26. rex — tyrannus 85. sapientia — stultitia 47. thesis — hypothesis ferentia 46. similitudo — dissimilitudo 62. thesis — hypothesis 79. tota — membra 28. tota — partes 8. 9. 10. 40. 69. translatio — verba propria ac sua 32. tuitio — jus ulciscendi 90. usus — abusus 17. verbum — res 35. vir — uxor 66. voluntas — fortuna 64.

*Adjectiva:*

abundantius — angustius 41. aequum — iniquum 84. 90. animata — inanima 69. artificiosa — non artificiosa 69. bona — mala 66. 69. 89. certus — infinitus 33. commune — suum 55. quae se ipsis contenta sunt — quae egent aliis 70. desiderabilia — ea, quibus facile carere possis 69. diuturniora — breviora 69. duplum — simplum 49. hoc — illiud 49. honesta — utilia 69. honestum — turpe 84. 89. idem — aliud 84. 85. 87. idem — similitudo 31. infinitum — definitum 79. innata et insita — assumpta et adventicia 69. integra — contaminata 69. jucunda — minus jucunda 69. longe et late pervagata — angusta 69. longum — breve 49. majus — minus 49. 84. maximus — minimus 45. meliora — deteriora 70. multa — pauca 49. naturalia — non naturalia 69. necessaria — non necessaria 69. perfecta — inchoata 69. perspicuae — latent 63. plura — pauciora 69. primum — quod sequitur 71. proclivia — laboriosa 69. proprium — commune 29. propter se — propter aliud 69. quietus — agens 59. rara — vulgaria 69. ratione utentia — rationis expertia 69. simile — dissimile 46. simplex — triplex 53. simpliciter — comparate 84. stabilia — incerta 70. sua — aliena 69. voluntaria — ignorata 63. voluntaria — necessaria 69.

b) *De iudicio*

Secunda logicae actio est iudicium, quod est facultas intellectus vel intellegentiae. (cf. 6). Cicero iudicium ipsum non explicat; illud iudicium decernit, verane sit sententia an falsa; «iudicare» est actio iudicii.

Enuntiatio iudicii fit propositione; Cicero non utitur voce «propositionis», sed «sententiae» (34. 56); alia forma sententiae est «enthymema» (55. 56).

enthymema est ea sententia, quae ex contrariis conficitur, acutissima (55).

rhetores illa ex contrariis conclusa... enthymemata appellant. (55).

ad sententiam pertinent etiam «dictum de omni» et «dictum de nullo».

«dictum de omni» illustratur his exemplis:

«omnis ratio diligens disserendi duas habet partes: unam inveniendi, alteram iudicandi» (6).

«omnes loci sunt omnium disputationum ad argumenta supeditanda» (41).

«contrariis omnibus contraria non conveniunt» (49).

«omnis sententia enthymema dicitur» (55).

«omne interit, quod ortum est» (62).

«testimonium... dicimus omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem» (73).

«quidquid sequitur quamque rem, id cohaeret cum re necessario» (53).

«quidquid repugnat, id ejusmodi est, ut cohaerere numquam possit» (53).

«dictum de nullo» autem habet hoc exemplum in Ciceronis *Topicis*:

«nihil sine causa» (53).

*Exempla sententiarum seu iudiciorum*

in natura et in arte constantia est... 63.

naturae auctoritas in virtute inest maxime 73.

natura... vitium in dies crescit. 62.

nihil sine causa nec quidquam omnino. 62.

nihil sine causa fit. 63.



illud... genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet. 60.

efficiens causa gravior quam non efficiens. 70.

ut... causa, quid sit effectum, indicat, sic, quod effectum est, quae fuerit causa, demonstrat. 67.

causarum... cognitio cognitionem eventorum facit. 67.

ex genere causarum ex aeternitate pendentium *fatum* a Stoicis necitur. 59.

quae se ipsis contenta sunt, meliora (sc. sunt) quam quae egent aliis. 70.

quae in nostra (sc. potestate sunt, meliora sunt) quam quae in aliorum potestate sunt. 70.

stabilia incertis (sc. meliora sunt) 70.

quae eripi non possunt, (sc. meliora sunt) iis, quae (sc. eripi) possunt. 70.

omne interit, quod ortum est. 62.

sapientia efficit sapientes sola per se. 59.

cognitionis (sc. quaestiones) sunt eae, quarum est finis scientia. 82.

magna est... vis ad persuadendum scientiae. 74.

plerumque ...creditur iis, qui experti sunt. 74.

persona non, qualiscumque est, testimonii pondus habet. 73.

testimonium... dicimus omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. 73.

fama vulgi (est) quoddam multitudinis testimonium. 76.

ad eam (sc. opinionem vulgi) omnia dirigunt et qui iudicant et qui existimant. 73.

vulgi opinio mutari vix potest. 73.

ad fidem faciendam auctoritas quaeritur. 73.

in tempore... multa sunt, quae afferant auctoritatem... 73.

lege firmiter in controversiis disceptandis esse nihil debet. 95.

aliquid, quod fieri nullo modo potest, augendae rei gratia dicitur aut minuendae, quae *hyperbole* dicitur. 45.

et parvi saepe indicaverunt aliquid, quo id pertineret, ignari. 75.

deorum virtus natura excellit. 76.

hominum (sc. virtus) industria (sc. excellit). 76.

in homine virtutis opinio valet plurimum. 78.

perturbationes animi... oburgatione... et admonitione dejiciuntur 64.

### c) *De conclusione*

Cicero de tertia mentis operatione multo plura enuntiavit quam de notione et de iudicio, quia Topicis doctrina concludendi propria continetur; argumenta enim ex locis desumpta praemissae universales habentur, quae ad quaestiones speciales assumuntur; his duabus propositionibus (universali et speciali) tertia sententia efficitur, cui nomen «consecutio» tribuitur. (53).

«*conclusio*» est vox Latina, qua syllogismus qui Graece vocatur, exprimitur. Cicero septem formas conclusionis enumerat (54. 56. 57. 60); his septem modis concludendi indemonstrabiles (=anapodeikta) Chrysippi Stoici syllogismi repraesentantur; huic conclusioni deductivae opponitur,

«*inductio*»: haec est enumeratio singularum rerum, quibus collectis ad extremum conclusio non necessaria, immo verisimilima comparatur; singulas res hoc loco «similitudines» Cicero significat et ita explicat: «haec (similitudo) ex pluribus perveniens quo vult, appellatur inductio, quae Graece «*epagogé*» nominatur». (42).

eadem inductio etiam «*collatio*» dicitur. (42).

Formae conclusionis variae «*modi*» appellantur. Cicero tres modorum species affert:

1. *implicationem materialem*, quae conjunctione condicionali «*si*» introducitur (cf. si dies est, lux est).
2. *copulationem* vel conjunctionem, qua per vocalum «*et*» duae sententiae inter se conectuntur (cf. Dio loquitur et Theo ambulat).
3. *disjunctionem* perfectam, quae conjunctione alternativa «*aut-aut*» duas sententias ita dijudicat, ut solummodo una sententia vera, altera autem falsa evadat (cf. aut dies est aut nox est); de hac disjunctione Cicero sic effatur: «in disjunctione plus uno verum esse non potest» (56).

In conclusionibus vero attendatur oportet praemissas inter se bene convenire; etenim «ea dico consequentia, quae rem necessario consequuntur» (53). Cicero adverbium «necessario» addit, quod ipse Aristotelis doctrinam syllogismorum demonstrativam sequitur; in Topicis contra Academiae Platonicae, quorum regulas collegit Stagirita, non de syllogismo categorico, sed de probabili tantum agitur; iterum Cicero declarat: «quidquid sequitur quamque rem, id cohaeret cum re necessario» (53).

consecutioni opponitur «*repugnantia*» (53), quae tum eveniet, cum praemissae inter se non cohaerent, sed se tollunt;

«quidquid repugnat, id ejusmodi est, ut cohaerere numquam possit» (53).

Ad praemissas pertinet «*dictum de omni*» (cf. omne interit, quod ortum est 62) quae est praemissa universalis affirmativa, et «*dictum de nullo*» (cf. nihil sine causa fit 63) quae est praemissa universalis negativa.

*Septem modi conclusionis:*

*Primus modus* (=implicatio materialis) (cf. Lucullus 30, 69) est ea conclusio argumenti, «in qua, cum primum assumpseris, consequitur id, quod annexum est».

si hoc, tunc illud	si primum, tunc secundum
atqui hoc	atqui primum
ergo illud	ergo secundum

Hic est: modus ponendo ponens.

*Secundus modus* (=implicatio materialis negata) «cum id quod annexum est, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum sit».

si hoc, tunc illud	si primum, tunc secundum
atqui non illud	atqui non secundum
ergo non hoc	ergo non primum

Hic est: modus tollendo tollens.

*Tertus modus* (=negata conjunctio=disjunctio exclusiva) «cum aliqua conjuncta negaris et ex iis (sc. conjunctis) unum aut plura sumpseris, ut quod relinquitur, tollendum sit, is tertius appellatur conclusionis modus».

non: et hoc et non illud	non: et primum et non secundum
atqui hoc	
ergo non (non illud)	atqui primum
ergo illud	ergo non (non secundum)
	ergo secundum

Hic est: modus ponendo tollens.

Per conjunctionem «et» verba copulantur, quorum actio est simultanea.

*Quartus modus* (=disjunctio exclusiva)

aut hoc aut illud	aut primum aut secundum
atqui hoc	atqui primum
ergo non illud	ergo non secundum

Hic est: modus ponendo tollens.

*Quintus modus* (=disjunctio exclusiva)

aut hoc aut illud	aut primum aut secundum
atqui non hoc	atqui non primum
ergo illud	ergo secundum

Hic est: modus tollendo ponens.

*Sextus modus* (=negata conjunctio)

non et hoc et illud	non et primum et secundum
atqui hoc	atqui primum
ergo non illud	ergo non secundum

Hic est: modus ponendo tollens.

Haec negata conjunctio idem valet ac disjunctio exclusiva.

*Septimus modus* (=negata conjunctio)

non et hoc et illud	non et primum et secundum
atqui non hoc	atqui non primum
ergo illud vel non illud	ergo secundum vel non secundum.

Hic est: modus tollendo ponens.

In hoc septimo modo textus Ciceronis in tertia propositione «illud igitur» (=ergo illud) per haplographiam post «illud» omisit has voces: «vel non illud»: quae tria vocabula librarius superflua esse arbitrabatur, sed necessaria profecto sunt ad conclusionem perfectam hujus septimi modi; nam sensus est hic: ergo illud vel non illud, sed tertium aliud (valet).

Ad septimum modum adnotandum est OSKAR BECKER, *Zwei Untersuchungen zur antiken Logik* (Wiesbaden 1957) pg. 47 falsissime de illo modo septimo disputavisse et contra regulas

artis criticae peccavisse; vitium textus solummodo in conclusione modi septimi latet, ubi simpliciter altera pars alternationis negata oportet adjungatur: «vel non illud» (*Topica* 57).

Postremo Ciceronis *Topica* magni momenti sunt ad Aristotelis *Topica* melius cognoscenda; Aristoteles enim fundamenta scientiae topicae universa construxit. Cicero autem ex istis fundamentis perpauca quaestionibus juris civilis solvendis arcessivit, quoniam non tanta speculandi facultate quanta Aristoteles praeditus erat.

Tullius ipse non multa ad Topicorum naturam perspicendam attulit neque ad scientiam logicae diligentius comprehendendam ansas praebuit; nihil novi ad Aristotelis doctrinam addidit, quam nimis breviter tetigit; variis vero sententiis hic libellus abundat et utilis est ad Ciceronis ingenium planius intellegendum.

#### ADDENDA:

##### 1. Ad *Definitiones*

*causae perspicuae*, quae appetitionem animi iudiciumque tangunt. 63.

*causae latent*, quae subjectae sunt fortunae. 63.

illa ex repugnantibus sententiis conclusio a dialecticis «*tertius modus*», a rhetoribus «*enthymema*» nuncupatur. 56.

dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur. 40.

fortuna... obscura et latens causa (est). 63.

jus civile est aequitas. 9.

##### 2. Ad *Contraria*.

biennium — annuus est usus. 23.

Ipse denique CICERO sicut proprii filii familiariumque, ita totius populi Romani generisque humani praeceptor fuit.

EMIL ORTH.